QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. DECEMB. M. FRANCISCO DES-FRANCOIS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

673

An Ileo Balneum?

MISERANDA corporis humani conditio. Ab vtero morbus. Naſcẽdo morimur. Quale in parentis alterutrius ſemine grauius vitium obtigerit, tale geniture indelebile inuretur; hinc tot arthriticæ & calculoſæ διαθέσεις, Pariſinis familiares, nec Eunuchis inſolitæ: non enim ei emendãdo, ſeminis quantumuis temperati miſcella ſufficiẽs eſſe poteſt; cùm certâ lunæ quadrâ fluentibus mẽnſtruis ſi congrediãtur coniuges, quorum morborum definita in ſeminibus & menſtruo ſeminaria nulla inerant, eorum exinde tamen cauſa ſæpè inexpugnabilis educatur: annon inde fœtum fore credas Elephanticum? Quid mẽſtrui vitioſi vires infanti crebrò funeſtas cõmemorem? quarum dira propago corpus miſellũ tàm latè populatur, vt eius licet puriori vnicuiq; mortaliũ pœnas in vitæ ſuæ decurſu ſemel interdúmq; pluries luere neceſſum ſit; donec radix inductæ labis penitus euellatur: quam per grauiſſimos affectus etiam peſtilentes inconcuſſam perſiſtere rerum euentus confirmat. Verùm vbi ex vtero in lucem prodiit, fletus & inuectæ cælitus ærumnæ mox ipſum circumueniunt, labor malè vbique habet, aſſiduè dolor excruciat, ſuos quælibet ætas deinceps perpeſſura manes.

INFANTIA, vmbilici inflammationes, aphtas; πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν, gingiuarum ὀδαξισμὸς, alui profluuia ad caninorum exortum; Pueritia, calculos; neutiquam pleuritidem, peripneumoniam, nephritidẽ, podagram; Pubertas, febres acutas; Iuuẽtus, αἵματος πτύσιας; Virilitas, pleuritides; Senectus, deſtillationes βηχώδεις: ab anno verò 14. ad 42. naturæ morborum omnis generis feraci miſeriarum cumulus accedit Autumnalis Voluulus πάθος ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον alterutrius inteſtini, nihil ſinens ſolidum deorſum ferri: tenuioris vitium denotat Ilei δυσώδους dolor oberrans acutior, cum hypochondrij meteoriſmo, cardiogmos, ſingultus: Craſſioris, dolor obtuſior, rigor, fœtor, ſtercoris vomitus cùm pernicioſè ægrotãt (licet Chyli, cibíque perículoſior.) Vtriuſq; cauſæ ſunt venena & vlcus; tenuioris, frequentiùs Enterocele, phlegmone; vti craſſioris induratum ſtercus, flatus, pituita lenta à cruditate, vſu παχυχύμων vt Sæpiæ, &c. (annon & frigidâ inducitur, ſi dum quis ſudat eâ ſe largè ingurgitarit?) hinc atrociſſimorum ſymptomatũ fœtura ſoboleſcit, dyſpnœa, anxietas, febris, ſurditas, deſipientia, ſingultus, conuulſio; quæ dum in corpus atque animam ſæuiunt, repentinam ægri perniciem tacitè moliuntur.

PVEROS hic affectus ſæpè exercet, facilé que ſaneſcunt: ſenes rarò corripiuntur, ſed perículoſiùs: viri ſæpiſſimè, qui omnino periclitãtur; eóque magis ſi tenue quàm ſi craſſum Ileus occupauerit inteſtinum; ſi ab Enterocele fuerit, vlcere, aut phlegmone, quàm ſi ab obſtructione (à venenis autem omni ætati peræquè lethalis) qui à veſicâ inflammatâ per compreſſionem eſſe nequit, licet ſtrãguriæ ſuccedat, quem febris cum copioſo vrinæ effluxu ſoluit: ſi modò ἄνευ ἰλίγγου fuerit, alioquin mortiferũ, vti & Ilei cõſectariæ parotides cum febre acutâ; quæ ſola deuicto ſuperſtes morbo ad interitum ſatis eſt. Ileus aphthoſæ lienteriæ contrarius licet affectus, facilis tamen vtriuſq; in alterum lapſus, in quibus βορβορυγμὸς obortus ſalubritatem pollicetur: alioquin in hydropem ſiccũ firmatur. Sed ne eò ſerpat tanti mali labes, multa manu Medica Phœbique potẽtibus herbis maturè proſpiciendum. Ἡγεμονικὸν eſt hoc in affectu præſidium phlebotomia, à quâ acutorum auſpicanda curatio, ſummè verò balneum proderit, in ἐπιδόσει aut ἀκμῇ vſurpatum, cuius nullum axiologum in morbi declinatione commodum.

BALNEORVM quædam aërea; alia liquida (ex aquâ, oleo, lacte, vino; apage quæ ex ſanguine humano fiunt.) Nonnulla ſolida, qualia ex arenâ, ſale, vinaceis. Omnia naturalia, aut arte compoſita; illa medicata, aut minimè quæ frigida ſunt, tepida vel calida. Frigida; poros denſant, calorem intropellunt, πέψιν iuuant (hinc qui hecticâ febricitantes ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint demiſſi nil iuuãtur, ſecus atque aliis correpti febribus.) Tepida quicquid in corpore fuliginoſum eſt vacuant, corpori caloris æquabilitatem impertiunt, meatus aperiunt, tẽſa laxant, dẽſata fundunt, vnde nulli non morbo penè conferunt, cutaneis potiſſimùm, vti & lui venereæ (cuius bubo non ſemper vitiati iecoris ſoboles, neque ſuppuratus certus luis vindex.) Calida cutim denſant, habitum exſiccant, viriúmque ſubſtantiam exoluunt. Medicata mineralium aut foſſilium admixtione componuntur, illa imbecilliora, quòd ferè frigida ſicca; vnde ferrea ſtomacho quidem & lieni inflãmatis conducũt at ſegniùs; ſic aurifera, argentea, cordis παλμῷ, matrici plumbaria: ori, tonſillis ærea. Hæc quod calida ſicca, δραστικώτερα, hinc ſalſa & nitroſa hydropicis, thoraci rheumatico: Aluminoſa arthritidi, paralyſi, hæmoptyſi, ſtomacho vomituriẽti, vtero abortiẽti, efficaciùs opitulantur. Sulphurea arenulas euocant, cutim expurgant; Bituminoſa neruos molliunt, omnia verò frigidis ac chronicis affectibus non leuiter auxiliantur.

ILEO celerrima ac fœdiſſima pernicies impendet: quocirca vſurpanda ἀκριβῶς omnia Medicínæ præſidia. Æger loco temperato cum ἀπαθείᾳ detinendus. Cibus ſit λεπτὸς, εὔπεπτος qualis acutorum: Potus in inflãmatione aqua hordei, aliàs vinum eſt diuinum tenue, oligophorum, eovſq; potum, donec inde ſomnus repat, crurúmque ſequatur dolor. Interim ſanguis phlegmones alimẽtum vel ad λειποθυμίαν vſque effundatur, & ſi vnà vomitus infeſtet, proderit Aſter Atticus Aſclepiadis: Catharticis hic vti nefas, deſperatis fas eſt. Si ab Enterocele, inteſtinum ſuo loco reponẽdum. Vlceri, potionibus, clymis tergentibus & ſiccantibus ſuccurrendũ. Pituita viſcida, tenuãtibus incidenda, calidiſque colliquanda (laudatur ad hoc theriaca vetus.) Stercus durum malacticis emolliendum, non pilâ plumbeâ deturbandum. Flatus diſcutientibus educendi, cucurbitulæ leues abdomini paſſim admouẽdæ. Quod ſi nec ſedatur dolor, nec ſtercus & flatus erumpit, aut catharticum ex hiera propina, aut acriori clyſtere vtere, (cui retinendo follis Hippocratici induſtria minimè ſpernẽda. Sed πάντα περὶ πάντων complectitur balneum aquæ dulcis tepẽtis, cui ineſt mira cum morbo, morbi cauſis & ſymptomatis ὑπεναντίωσις, inteſtinorum inflammationem extinguit, aluum & inteſtina lenit, pituitam diluit, ſtercus emollit, ac elicit, vlcera terget, totum permeabile reddit, flatibus viam parat, ſomnum conciliat, nullúmq; hoc certius eſt dolorum Ilei paregoricum.

Ergo Ileo Balneum. 120

Proponebat Lutetiæ IACOBVS CORNVTY, Pariſinus. Anno R. S. H. M. DC. XXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Lazarus Peva.	*M. Joannes le Texier.*	*M. Gabriel Biard.*
M. Jacobus Cousinot. P-R	*M. Robertus Tulloué.*	*M. Joannes Desgorris. M. R.*
M. Petrus de Beaurains.	*M. Antonius le Rat.*	*M. Renatus Chartier. M. R.*